

Quod Julius III. erga Carol. V. Imper. praestitit, idipsum et Nos agere intendimus, quin et peragimus cum Jacobo III. Magnae Britanniae Rege. Perspecta Nobis esse non potest imbecillis valetudo Caroli V., scimus equidem ipsum natum anno 1500, cumque datum fuerit Pont. Breve 1554, eundem non excessisse annum 54 aetatis suae. Quae patitur Britannicus Rex incommoda, sunt Nobis satis superque nota scimusque etiam eum agere annum 68. Ex animo credimus, quidquid scripsere Historici de pietate Caroli V.; perspecta Nobis fit singularis Regis Jacobi integritas vitae, pietas et religio, universae Urbi exemplo, cum ipsi simus horum oculati testes. Tu itaque, qui regium desiderium attulisti, munitius eidem eris Nos ipsi facultatem indulgere s. Eucharistiam sumendi consulto conscientiae suae moderatore, etsi post evolutam superioris noctis partem dimidiam valetudine ita exposcente exiguum aliquod jentaculum deglutiverit.

Datum Romae die 24. Mart. 1756.
(Bull. r. t. XIX. p. 211.)

7) Translatio.

Cum in Civitate Cremensi dies Festus S. Pantaleonis ex voto singulis annis cum jejunio die 10. Junii celebretur, cumque anno proximo venturo Jejunium diei festi praedicti incidat in feria 3. Dominicae Pentec; Episcopus praedictae Civitatis a S. R. C. humiliter exquisivit responderi: An tuto possit anno proximo in his circumstantiis omitti?

Et S. eadem R. C. censuit:

„Jejunium esse transferendum ad aliam diem ab Episcopo designandam, n. 3488 die 6. Septemb. 1698.

Apostolicum Indultum, quo apud Belgas contrahitur numerus festorum de praecepto simulque praescribitur, ut

jejunium vigiliae praecedentis, quando servandum est, servetur Sabbato ante dominicam, in qua festum illud exterius apud populum agitur, hoc incommodi non raro patitur, ut quum nihil fuerit quoad liturgiam immutatum consuetumque Horarum canonicarum ordinem eodem die, quo in choro solemniter celebratur festum et officium SS. ap. Petri et Pauli, eorundem sit servanda vigilia. Quum itaque jejunium minus solemnitati convenire censeatur, propterea SS. DD. N. Gregorio PP. XVI. enixe supplicavit Emus. Card. Archiep. Mechl. nomine etiam caeterorum Belgii Episcoporum, quatenus iis omnibus dioecibus aliud concedere dignaretur indultum, ut nimirum jejunium pervigilii festi eorundem apostolorum in posterum servari valeat IV. Cal. Jul., eadem scilicet die, qua antea servabatur.

S. S. de speciali gratia annuit solummodo juxta preces, quando Natalis ss. ap. Petri et Pauli incidit in Sabbatum. Caeteris vero annis servetur solitum juxta praecedens indultum. Contrariis non obstantibus quibuscunque. Die 22. Sept. 1838.

Vd.: *Vigilia festor. jejun.* (praecipue decr. n. 3375.)

JESU TIBI SIT GLORIA etc.

Cum in Rubrica Breviarii tit. 20. de Hymnis num. 4 mandetur, ut in conclusionibus Hymnorum infra Octavas ibi notatas dicatur: *Jesu, tibi sit gloria etc.* etiamsi dicantur Hymni de Sanctis, qui infra Octavas praedictas celebrantur, nec aliud praeterea excipitur; quaeritur: Utrum in Vesperis Sabbati et in Officio Dominicae infra eas Octavas sit dicendum: *Jesu tibi sit gloria etc.*, an vero conclusio assignata Hymnis Sabbati et Dominicae?

S. eadem R. C., ad relatioem Emi. et Rmi. D. Card. Rubini censuit respondendum:

„Affirmative, dummodo Hymni sint ejusdem metri“.

Et ita declaravit. n. 3704 ad 4 die 23. Augusti 1704.

In Officio s. Hyacinthi c., Regni Poloniae principal. Patroni, quod celebratur ritu dupl. 1. cl. dominica infra octav. Assumpt. B. V. M. hymni ad Horas terminari debent: *Jesu tibi sit gloria etc.* n. 4259 ad 2 die 29. Movemb. 1755.

JESUS CHRISTUS.

Non permitti debet Fratibus Dominicanis, ut in salutatione angelica post verbum *Jesus* addant *Christus* sed omnino prohibendum esse. n. 1182 die 19. Novb. 1639.

In versiculo consueto de B. V. M. „Benedicta tu in etc.“ non licet addere „*Jesus*“. n. 1708 ad 2 die 20. Junii 1654.

Vd.: *Indulg.* (terram s. visitant. etc.); *Lytaniae de ss. Nom. Jesu; Rosarium. Confraternitas ss. Nomin. Jesu ap. prob.* vd.: Bullam Clem. PP. VIII. die 30. Jun. 1603. (Bull. r. t. III. p. 161); *Indulg.* (Regul. VI.); *SS. Nomen Jesu.*

S. IGNATIUS C.

a) Festi ritus.

Off. s. Ignatii c. sub ritu dupl. recitandum est ex decr. Clem. IX. die 11. Oct. 1667. (Bullar. mag. rom. tom. VI. p. 251.)

De ejus Canonisat. et institutione festivitatis die 31. Julii

Vd.: Bullam Urbani VIII. de die 6. Aug. 1623. (Ibid. t. IV. p. 12.)

b) Indulgentia in ejus festo.

In festo s. Ignatii omnes et singuli utriusque sexus Christifideles vere

poenitentes et confessi ac s. communione refecti, qui aliquam ex ecclesiis Societ. Jesu ubique existentibus in s. Ignatii festo a I. vesp. usque ad occasum solis festivi diei singulis annis devote visitaverint et ad intent. S. S. oraverint, plenariam omnium peccatorum indulgentiam et remissionem lucrari possunt. *Breve Gregorii XV.* de die 8. Jun. 1622; *Breve Alexd. VII.* de die 18. Jul. 1663. (Bullar. mag. rom. tom. VI. p. 197 ed. Luxemb. 1727.)

Vd.: *Indulg.* (Monaster.)

S. ILDELPHONSUS.

Ad dubium: An Festum s. Ildelphonsi celebrari debeat a Congregatione Cassinensi sub ritu dupl. II. cl., prout celebratur a Congreg. Hispaniarum Vallisoletana mediante facultate S. C. de 22. Sept. 1674, extensa toti Congregationi Cassinensi de 24. Febr. 1680?

S. C. resp.: Off. s. Ildel. esse recitandum sub ritu dupl. dumtaxat juxta concessionem factam Congregationi Vallisol. n. 3561 ad 1 die 22. Maji 1700.

ILLEGITIMUS.

Vd.: *Spurius.*

IMAGO.

1) Beatae Mariae V.

a) Expositio

Vd.: *Imago Titul.* (in altari.)

Clericis regularibus, qui cum licentia Ordinarii in propria Ecclesia retro Altare majus exposuerunt Imaginem B. V. M. sub invocatione, ut vulgo dicitur, *della Madonna del buon successo*, esse permittendum nomen et locum et quoad habitum servandam esse constitutionem Urbani VIII. „Sa-

crossancta“. n. 1526 die 11. Febr. 1645. Vd.: *Imago* (expos.)

Permitti posse, ut Statua B. V. M. *velo nigro* circumdata in nocte fer. V. in coena Dom. cum Jesu filio mortuo in gremium deposito in Ecclesia exponatur, ut sequenti fer. VI. in mane processionaliter cum pluvialibus nigris deferatur. n. 4153 ad 6 die 21. Mart. 1744.

Ad dubium: Stante antiqua consuetudine potestne permitti, ut Statua Virginis Dolorum possit exponi in Altari Feria Sexta post Dominicam Passionis et deferatur cum Christo mortuo in Processione, quae fieri solet Feria Sexta in Parasceve?

S. C. resp.: „Juxta Decretum in Bergomen diei 21. Martii 1744 permitti potest“. n. 4669 ad 58 die 12. Novbr. 1831.

b) Processio.

Vd.: *Imago* (expos.)

c) Thurificatio.

Cum in insula Canariensi occasione alicujus publicae calamitatis Imago quaedam B. V. M. ad Cathedralem supplicationis causa transferri soleat, Episcopus supplicavit definiri: utrum Imago in iis circumstantiis thurificanda sit tripl. vel dupl. ductu? S. C. resp.: duplici ductu. n. 4437 die 28. Julii 1789.

2) Beati.

(Expositio.)

Vd.: *Indulg. Imag. SS.*; *Imago* (expositio.)
Imagines *Beatorum* publice non possunt exponi in Ecclesiis, Oratorijs aliisque publicis locis nec supra nec extra altare. n. 1935 ad 1 die 28. Sept. 1658.

Cf.: *Beati*.

Ad dubium: An possit exponi cum *luminibus et tabellis Imago Beati non canonizati* in Ecclesiis aliisque publicis locis, in quibus hoc fieri ex apostolicae Sedis speciali indulto minime indultum patet? S. C. resp.: Episcopos teneri amovere et prohibere, ut impleantur decreta S. C. Inquisitionis et SS. Rituum, quorum executio iisdem injuncta est. Ibidem ad 2.

3) Benedictio.

Vd.: *Reliquiae* (superimpon. tabernaculo, decr. n. 4578 nota.)

4) Crucifixi Domini in s. Hostia.

Vd.: *Hostia s.* (Imago)

5) Crucifixi.

1) Quomodo vertenda?

a) Ante Archiepiscopum.

Vd.: *Episcopus* (access. Ordo incedendi; decr. n. 4597 nota.)

b) Ante Clerum.

Vd.: *Cruz Cleri saec.* (quomodo defer.)

2) Super Altare.

Vd.: *Cruz.*

Benedictus PP. XIV.

Accepimus praestantium Virorum testimoniis jam pridem in quibusdam Pontificiae Ditionis Civitatibus inductam esse consuetudinem, quae licet pietatem ac religionem praeseferat, Ecclesiae tamen institutis ac disciplinae plurimum adversatur. Idem Nos ipsi deprehendimus in aliquibus Ecclesiis hujus nostrae Romanae Urbis et aliis pariter, quae Episcopis Suburbicariis subjiciuntur. Quapropter muneris Nostro deesse magnopere videremur, nisi de hac re monerentur illi, qui pro spiritali hujus Civitatis regimine Ministri a Nobis constituti sunt,

et alii, qui Suburbicarios Episcopatus vel alterius Civitatis in Ditione Pontificia sedem obtinentes curam gerunt animarum.

In Altaribus, quae per Ecclesias erecta sunt et in quibus Sacrum fieri consuevit, praeter majorem Tabulam, quae vel depictam vel incisam exhibet imaginem Sancti, in cujus nomen et memoriam Altare consecratum est, adungi coepit alia minor Tabula, in qua vel coloribus exprimitur vel aere, ligno aut marmore inciditur effigies alterius Sancti, ita ut Crux auferatur, quae juxta Rubricas inter Candelabra collocari debet: cum verò neminem lateat, rem Divinam confici non posse, nisi Crux cum Imagine Sanctissimi Crucifixi super Altari constituatur, hinc minori Tabellae superadditur exiguus adeo Crucifixus, ut neque Presbyteri celebrantis oculis facile occurrat, neque ab ullo alio distingui ferè possit, nisi hic diligenter perscrutetur, utrum super Altari revera Crucifixi Imago proposita fuerit.

Equidem non improbamus, quod idem Altare in plurium Sanctorum nomen ac memoriam dedicetur, quodve in majori Tabula aut unus tantum aut plures etiam Sancti pingantur, vel denique, quod alia minor Tabula collocetur inferior aut alio quocunque modo, ubi unus vel plures Sancti Fidelium venerationi proponantur. *Illud permittere nullatenus possumus, quod Missae Sacrificium in his Altaribus celebretur, quae careant Imagine Crucifixi, vel ipsa incommode statuatur ante Presbyterum celebrantem, vel ita tenuis et exigua sit, ut ipsius Sacerdotis et Populi assistentis oculos penè effugiat*: id enim alienum est a Legibus et Institutis Ecclesiae, quae in Rubricis aliisque ecclesiasticis Sanctionibus continentur: id etiam maximè contrarium est Sacrae antiquitati et Ecclesiarum etiam Orien-

talium consuetudini; ita ut certissimum sit violari Leges Ecclesiae, si exigua solùm Imago Crucifixi praefigatur minori Tabulae vel Statuae Sancti, qui superadditur, ut illum Fideles venerentur.

In Rubricis Missalis *tit. de preparatione Altaris et ornamentorum ejusdem*, haec leguntur: *Super Altare collocetur Crux in medio et Candelabra saltem duo cum Candelis accensis hinc et inde in utroque ejus latere*. In Romano Pontificali *tit. de Consecratione electi in Episcopum*, cum sermo est de Altari, ubi consecrandus Episcopus Sacrum operatur usque ad Offertorium, quo peracto Missae Sacrificium prosequitur in alio Altari, ubi Episcopus consecrans rem Divinam facit; in eo, inquam, Pontificali haec habentur: *In Capella verò minore pro Electo, quae a majore debet esse distincta, addatur Altare cum Cruce et duobus Candelabris*. Caeremoniale autem Episcoporum postquam *lib. 1. cap. 12.* commemoravit Candelabra et Candelas, haec addit: *In quorum medio collocabitur Crux ex eodem metallo et opere, praealta, ita ut per Crucis aequet altitudinem vicinorum Candelaborum et Crux ipsa tota Candelabris superemineat cum Imagine Sanctissimi Crucifixi versa ad anteriorem Altaris faciem*.

Nos ipsi verba fecimus de hoc veteri ritu collocandae Crucis in Altari, cum Sacrum peragitur, in nostris Commentariis *De Sacrificio Missae*, quae Italico sermone a Nobis confecta fuerunt *par. 4. sect. 1. num. 17. ac sequentibus*. Plura deinde addidimus *sect. 1. §. 18. et 19* cum ipsa latine reddita lucem iterum publicam adspexerunt. His etiam adjungimus ob vetustatem praesertim hujusce Ritus, tantam venerationem cultumque semper exhibitum fuisse Cruci, quae in medio Altari collocatur, cum Missae

Sacrificium conficitur, ut Novatores ipsi magis infensi, illam de medio auferre pertimuerint, cum suam Coenam instituunt; haec testatur *Gretserus in suo Tractatu de Cruce cap. 23. tom. 1.* ejus editionis, quae postremo typis vulgata fuit. Si verò disciplinam Orientalium inspiciamus, Graecis in more positum est, ut ad Portam Regiam Sanctuarii utroque latere Imagines Christi Domini ac B. Virginis et super Altari Crucem unà cum Libro Sanctorum Evangeliorum constituent: In Liturgia verò Copto-Arabica, quae desumpta ex manuscriptis Codicibus Vaticanis impressa fuit anno 1736 in Collegio Urbano de Propaganda Fide, pag. 33 indicitur Sacerdoti celebranti, ut Benedictionem cum Cruce Populo impertiat, eam deinde osculetur ac Diacono tradat, qui ipsam super Altari collocat: postremo Ritus Syracus Maronitarum eadem prorsus decernit, quae in Rubricis Romani Missalis praescribi superius indicavimus. Nam Patriarcha Stephanus *lib. 3. tract. 2. sect. 4.* ita scriptum reliquit: *Mos iste in omnibus Ecclesiis inolevit, ut super Altaris gradum salutiferae Crucis vexillum collocetur.* In Synodo etiam Nationali, quae coacta fuit anno 1736 in Monte Libano, quam Literis Apostolicis Nos ipsi confirmavimus, *par. 2. cap. 3. de Sacrosanctae Missae Sacrificio can. 8.* ita sancitum est: *Super Altare collocetur Crux in medio et Candelabra saltem duo cum Candelis accensis hinc et inde in utroque ejus latere.*

Scriptores, qui sacros ritus explicarunt, nonnullas disputationes instituerunt; ac primò: *utrum satis sit nudam Crucem in Altari statuere, an Imago Crucifixi addenda simul videatur?* Equidem Rubricae Missalis solam Crucem commemorant. Cùm tamen Caeremoniale Episcoporum *Crucem una et Crucifixum nominet, idque com-*

muni Ecclesiae consuetudini consentaneum sit, hanc ideò sententiam probandam nemo sapiens dubitabit. Ita sentiunt Gavantus, Claudius la Croix, qui *lib. 6. par. 2. de Sacrificio Missae num. 318* fatetur, ob veterem communemque usum sine Imagine Crucifixi, quae pendeat è Cruce, rem Divinam fieri non posse, nisi necessitas intervenerit: et profecto initio Ecclesiae, cum Fideles concitare ad furorem Gentiles magnopere timerent, si Christum Crucifixum publicè adorandum proponerent; Crucem tamen plurimis modis exornatam palam exponebant, atque incisum vel depictum Cruci apponebant Agnum, qui Typus amantissimi Salvatoris semper habitus est, ut eo saltem modo Crucifixi Imaginem exhiberent: Id conspicitur adhuc in nonnullis hujus Civitatis Ecclesiis, et testimonio etiam Magrii comprobatur in *ejus Hierolexico, in vocabulo: Crux.*

Secundo loco inquiritur: *utrum Crucifixus pendens à Cruce debeat in Altari constitui, etiamsi Salvator noster Crucifixus in majori Tabula Altaris depictus aut caelatus appareat?* Gavantus id quidem probat; alii verò necessarium id minimè arbitrantur, dummodo tamen Crucifixus in majori Tabula vel pictus vel caelatus primum locum obtineat prae caeteris omnibus, quae in eadem Tabula exprimentur. Ita censent Pasqualigus de *Sacrificio Missae quaest. 716.*: Quartus ad *Rubricas Missalis part. 1. tit. 20. dub. 10.*: et Giribaldus de *Sacramentis in tract. 5. de Sacrificio Missae cap. 9. dub. 2. num. 20.*: huic pariter sententiae se conformavit Congregatio Sacrorum Rituum, uti constat ex responsione, quam ipsa promulgavit anno 1663*) et quam Meratus recenset *tom. 1.*

*) Vd.: *Crux altaris.*

par. 1. tit. 20. de praeparatione Altaris num. 6. et in Indice Decretorum eodem *tom. par. 2. num. 400.*

Tertio loco quaeritur: *utrum Crucifixus in Altari collocari debeat, cum Sacrificium Missae in eo conficitur Altari, ubi positum est Tabernaculum, in quo Pyxis cum Sacris Particulis continetur, cum praesertim eidem Tabernaculo parva Crux cum Imagine Salvatoris Crucifixi semper praefigatur?* Equidem in Caeremoniali Episcoporum haec habentur: *Non incongruum sed maximè decens est, ut in Altari, ubi SS. Sacramentum est, Missae non celebrentur, quod antiquitus observatum esse credimus: in veteri Caeremoniali, cum Clemens VIII. Pontificatum gereret, ita legebatur: quod antiquitus observatum esse videmus.* Attamen id prorsus difficile nonnullis videtur, ob eam causam, quod, ut ipsi argumentantur, cum unicum Altare in veteribus Templis extrui solet, aut Divina Eucharistia in eis conservata non fuisset, aut nullum Missae Sacrificium in eis esset institutum: aliter verò sentiunt ii, quibus cognitum perspectumque est, eum morem fuisse antiquitus, ut Sacra Eucharistia in Ecclesiae Sacratio servaretur vel in decenti Armario, quod parieti configebatur, uti nunc etiam perspicimus in Basilica Sanctae Crucis in Jerusalem: Idem perpendit Mabillon in *Musaeo Italico tom. 1. pag. 89., ac tom. 2. pag. 139.* At quod in praesenti ingerit difficultatem, nec ullum ab examine propositae controversiae liberum facit, illud est, quod juxtà vigentem disciplinam Sacra Eucharistia conservatur in Tabernaculo, quod est positum super uno ex Altaribus Ecclesiae et quod in eo passim Missa celebratur; cùm, sedulò perpenso Caeremonialis textu, deprehensum sit, eum praedictae celebrationi absolutè non obstare; uti Christianus

Lupus expendit *tom. 11.* recentioris editionis in *Dissertatione de Sacris Processionibus pag. 356.* Hanc itaque controversiam quum aliàs Nos ipsi expenderemus in supracitalis Commentariis de *Sacrificio Missae par. 4. sect. 1. num. 18.,* illorum sententiam probavimus, qui existimant Crucifixum inter Candelabra statui debere, neque parvam Crucem, quae Tabernaculo praefigitur satis esse, ne Rubrica violetur, quemadmodum inferius explicabimus. Idemque censuit S. R. C. anno 1663, uti perspicitur ex Indice Decretorum, quam Meratus exhibuit, *par. 2. tom. 1. num. 400* ubi haec leguntur verba: *Crux parva cum Imagine Crucifixi posita super Tabernaculum, in qua asservatur inclusum SS. Sacramentum in Altari, non est sufficiens in Missa, sed poni debet alia Crux in medio Candelabrorum.*

Quarto loco disputatur: *utrum Crucifixus inter Candelabra collocandus videatur, cum Sarum peragitur in eo Altari, ubi Divina Eucharistia non includitur Tabernaculo, sed publicae Fidelium venerationi exponitur?*)* Id necessarium esse putavit S. R. C. die 14. Maji anno 1707. Hoc enim petatum fuerat: *An super Altare, in quo SS. Sacramentum expositum est, Crux de more collocari debeat?* Sic autem responsum est: *Nunquam omittendam Crucis cum Imagine Crucifixi appositam collocationem.* Porrò quum Nos ipsi tunc in Minoribus constituti Coadjutorem Promotoris Fidei gerentes, ipsius loco eidem Congregationi praesentes adfuerimus, adhuc memoriã retinemus in illa sententiã ferendã varia fuisse ac discrepantia suffragia, cautumque deinde fuisse, ne ipsa sententia in lucem ederetur. Itaque res

*) Vd.: *Crux altaris cor. exp. SSmo.*

iterum deducta est in examen initio Pontificatus Nostri die 2. Septembris anno 1741 in eadem S. R. C., quae postquam omnia diligenter accuratèque perpendit, decrevit, ut qualibet Ecclesia morem et institutum, quod antea servaverat, in posterum quoque retineret. Et quidem pro Cruce ab Altari removenda, dum Missa in eo celebratur et super eo publicae venerationi Eucharistia exposita est, parùm urget, quod nonnulli asserunt, indecens esse, ut Christi Imago in eo loco sit, in quo Christus ipse sub specie panis realiter praesens est et ab omnibus sub eadem specie panis videtur: id quippe prorsus contingit, quoties Sacerdos in quolibet Altari rem Divinam faciens materiam Eucharistiae consecravit; nec enim Ecclesia unquam decernendum putavit, ut, peracta Consecratione, Crux ab Altari removeatur. Quemadmodum nec asserentibus Crucem necessariò esse debere in Altari, in quo expositum est Sacramentum publicae venerationi, si in eo Missa celebretur, quidquam prodesse potest, quod in publica Eucharistiae expositione significetur triumphus et gloria Salvatoris, in Missae autem Sacrificio ejusdem mors repraesentetur; cum Ecclesia tam in actione Missae, in qua Eucharistia consecratur, quam in conclusione precum, quae coram eadem jam consecrata et Fidelium venerationi palam exposita recitantur, unà eademque Collecta aequè utatur, quam S. Thomas Aquinas confecit, nimirum: *Deus qui Nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti, tribue, quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra Mysteria venerari, ut redemptionis tuae* (hoc est passionis ac mortis) *fructum in nobis jugiter sentiamus.* Quae cum ita se habeant Rituumque Interpretes et Scriptores, ob ea, quae mox relata

sunt, in varias abierint sententias, satis commendari non possunt ea, quae prudenter sapienterque decreta fuerunt a praedicta S. R. C. nempe: *ut quaelibet Ecclesia vel Dioecesis suam retineat consuetudinem*, ita ut nihil immutetur in ea Dioecesi, ubi Crux in Altari constitui soleat, dum Missa celebratur, etiamsi Sacra Eucharistia publice prostet: nempe nova disciplina excitetur in ea Dioecesi, ubi contraria hujusce rei consuetudo jampridem invaluerit. Haec omnia diligenter exposuimus, non quidem ut hac de re plenum justumque tractatum adornaremus, sed ut ex eis cognitum esset atque perspectum, quàm alienum sit a Sacris Ritibus id, quod plures temerè et inconsultò peregerunt, nempe ut Sacrum facerent ad Altaria, in quibus Crux haud promineat inter Candelabra sed exiguus tantùm Crucifixus praefigatur Tabulae alicujus Sancti, qui vel depictus aut caelatus majori Tabulae Altaris adjungi consuevit.

Si etenim juxta Rubricas Missalis Crux inter Candelabra statuenda est; si juxta Caeremoniale Episcoporum Crux ipsa cum Imagine Crucifixi Candelabris supereminere debet; si juxta sensum Congregationis Sacrorum Rituum non satis esse judicatur exiguus Crucifixus Tabernaculo infixus, cum Missa celebratur ad Altare, ubi Pyxis cum sacris Particulis in Tabernaculo includitur; si in praesenti non agitur de Altari, in cujus Tabula Imago Salvatoris Crucifixi primo loco Fidelibus exhibeatur, nec minus de Altari, in quo Sacra Eucharistia publicè adoranda exposita sit, *nemo est, qui non videat praxim, de qua agitur, recenter inductam proprioque marte a privatis personis usurpatam, ex praedictis dicendam esse omnino improbatam*; eoque magis, cum ex exiguo Crucifixo, qui praefigitur Tabulae ejus Sancti, qui Altari superadditur, ea

profectò utilitas non consequitur, quam proponit Ecclesia, dum Crucem inter Candelabra collocandam decernit. De hac re praeclarissimus Vir Cardinalis Bona ita scriptum reliquit *Rerum Liturgicarum lib. 1. cap. 25. num. 8.:* *Ab aspectu siquidem Crucis Sacerdoti celebranti Passio Christi in memoriam revocatur, cujus Passionis viva imago et realis repraesentatio hoc Sacrificium est, mortem cruentam Salvatoris nostri incruente exprimens tamquam idem Sacrificium, quod in Cruce oblatum est, quamvis diverso modo offeratur:* his postremis verbis indicatur orthodoxa doctrina, quam Tridentina Synodus declaravit *sess. 22. de Sacrificio Missae cap. 2.*

Itaque Vos omnes Venerabiles Fratres, ad quos haec Apostolica scripta dirigimus, curam magnopere impendite, ne vestras in Dioeceses irrepant consuetudo, quàm superius explicavimus; quod si jam ipsa invaluerit, humanitatem prius ac deinde severitatem si opus fuerit adhibentes; illam penitus convellite. De Sacrificio Missae res agitur, adeoque nemo vestrum ignorat, a Tridentino Concilio eam tribui auctoritatem Episcopis et Ordinariis Locorum, ut etiam tanquam Sedis Apostolicae Delegati corrigere valeant pravas consuetudines, quae Ritu Missae celebrandae adversantur; ita clarè desumitur *ex sess. 22. in Decreto de observandis et evitandis in celebratione Missae.* Neque Vos latet, nullum esse privilegium aut immunitatem, quae delinquentibus in hac re suffragari possit, ut vestra ab auctoritate poenisque per Vos irrogatis vindicentur. Idem saepius confirmavit S. C. Tridentini Concilii interpres, Decreto inhaerens ejusdem Synodi, quod paulo ante memoravimus: id Fagnanus testatur ad *Cap. Grave num. 46. de Officio Ordinarii:* his verbis: *Et generaliter hoc Decretum* (de quo

superius dictum est) *censuit S. C. comprehendere etiam Regulares, quantumvis exemptos, eosque ea omnia, quae ab Ordinariis Locorum circa observanda et evitanda in Missarum celebratione statuta fuerint, omnino servare teneri, ad idque etiam poenis et censuris Ecclesiasticis ab iisdem Ordinariis cogi et compelli posse.* Nos quidem his Literis eandem auctoritatem, quàm jam praediti estis, iterum Vobis confirmamus. Illud monendum superest, eam Nobis mentem haud esse, ut Imagines Sanctorum, quae majori Tabulae Altaris superadditae sunt, de medio auferatis, cum fortasse defuturi non essent invidi, qui, ut pietati vestrae maculam inirent, in vulgus disseminarent, Vos nullà duci religione in eum Sanctum, cujus Imaginem Fidelium venerationi subducitis. Illud Vobis praecipimus, ut nullo modo patiamini rem Divinam fieri ad hujusmodi Altaria, nisi Crucifixus inter Candelabra ita promineat, ut Sacerdos celebrans ac Populus Sacrificio assistens eundem Crucifixum facillè et commodè intueri possint; quod evenire nequit, si exigua solùm Crux minori Tabulae defixa Fidelibus exhibeatur. Si ejusmodi corruptela in Dioecesim non valde propagata est, facillè extingui poterit, si privatim Regulares aut Saeculares Ecclesiarum Superiores de hac re moneantur; sin autem latè per Dioecesim invaluerit, tunc a Vobis Edictum necessariò promulgandum erit, quod his nostris Literis conformetur. Plura scribere Vobis praetermittimus, quos prudentiae ac doctrinae laude satis praestantes existimamus Auctoritatem nostram, ut rem perficiatis et quoties opus fuerit, Vobis petentibus nunquam defuturam pro certo habeatis. Interim Fraternalibus Vestris et Populo curae vestrae commendatis Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die XVI. Julii 1746. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

(Bull. r. t. XVII. p. 77).

6) Deferentes.

Licere deferri S. Imaginem (B. V. M. incoronatae Ripanae) per Confratres sacco indutos, n. 4164 ad 3 die 22. Aug. 1744.

7) Discooperitio.

Sacras imagines Sabbato s. ad *Gloria*, si commodè fieri poterit vel post Officium ejusdem diei, discooperiendas esse, n. 2194 die 20. Novb. 1662.

Ad dubium: Quum ex Rubricis Sabbato *Silientes* velentur S. Imagines Altarium, quaeritur: an liceat eas detegere Fer. VI. in Parasceve et non ad Hymnum Angelicum in Sabb. S., uti Rubricae ipsae praescribunt?

S. eadem C. . . respondendum censuit:

„Velatas manere debere usque ad Hymnum Angelicum Sabbati S. juxta alias Decreta“.

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 5127 ad 3.

Die 22. Julii 1848.

Vd.: *Imago* (Velatio).

8) Expositio, Habitus etc.

Urbanus PP. Octavus.

SSmus. D. N. sollicite animadvertens abusus, qui irrepserunt et quotidie irrepere non cessant in colendis quibusdam cum Sanctitatis aut Martyrii fama vel opinione defunctis, qui et sine Canonisationis et Beatificationis honore insigniti sint ab ap. Sede, eorum tamen imagines in Oratoriis atque Ecclesiis aliisque locis publicis ac etiam privatis cum laureolis aut radiis seu splendoribus proponuntur, miracula et revelationis aliaque bene-

ficia a Deo per eorum intercessionem accepta in libris rerum ab ipsis gestarum enarrantur et ad illorum sepulchra tabellae, imagines et res aliae ad beneficia accepta testificanda, et lampades et alia lumina apponuntur.

§. 1. Volensque proinde hujusmodi abusus pro debito Officii pastoralis occurrere, re etiam mature desiderata ac discussa declaravit; statuit et decrevit, ne quorumvis hominum cum sanctitatis seu martyrii fama (quandoque illa sit) defunctorum imagines aliaque praedicta et quodcumque aliud venerationem et cultum praeseferens et indicans, in Oratoriis aut locis publicis seu privatis vel Ecclesiis tam saecularibus quam reg. cujuscunque Religionis, Ordinis, Instituti, Congregationis aut Societatis apponantur, antequam ab ap. sede canonizentur aut Beati declarentur et (si quae appositae sunt) amoveantur, prout eas statim amoveri mandavit.

§. 2. Ac pariter imprimi de caetero inhibuit *libros* eorumdem hominum, qui sanctitatis aut martyrii fama celebres e vita migraverint, gesta, miracula vel revelationes seu quaecunque beneficia tamquam eorum intercessionibus a Deo accepta continentes sine recognitione atque approbatione Ordinarii, qui in iis recognoscendis theologos atque pios ac dictos viros in Consilium adhibeat et ne deinceps fraus aut error aut aliquid novum aut inordinatum in re tam gravi committatur, negotium instructum ad Sedem ap. transmittat ejusque responsum expectet. *Revelationes* vero et miracula aliaque beneficia supra dicta, quae in libris horum hominum vitam et gesta continentibus hactenus sine recognitione atque approbatione hujusmodi impressa sunt, nullo modo approbata censi vult mandatque Sua Sanctitas.

§. 3. Ad horum hominum *Sepul-*

chra vetuit etiam ac inhibuit tabellas atque *imagines* ex cera aut argento seu ex alia quacunque materia tam pictas quam fictas atque excultas appendi aut affigi et lampades sive alia quaecunque *lumina* accendi sine recognitione ab Ordinario omnino prout supra facienda Sedique ap. referenda ac probanda.

§. 4. Declarans, quod per subscripta *praejudicare in aliquo non vult neque intendit iis*, qui aut per communem Ecclesiae consensum vel immemorabilem temporis cursum aut per Patrum Virorumque ss. scripta vel longissimi temporis scientia ac tolerantia Sedis ap. vel Ordinarii coluntur.

§. 5. Ut autem praemissa diligentius observentur, universis ac singulis tam Ordinariis quam haereticae pravitatis Inquisitoribus districte praecipit, ut in sua quisque dioecesi vel Provincia sedulo pervigilent, *ne sine approbationibus praedictis Imagines cum memoratis signis exponantur aut miracula, revelationes ac beneficia praedicta publicentur* aliave contra superius disposita fiant.

§. 6. *Transgressores* vero, si *Regulares fuerint*, privationis officiorum suorum ac vocis activae et passivae necnon et suspensionis a Divinis; *si vero Clerici saec.* et privationis pariter suorum officiorum, suspensionis a Divinis et ab administ. Sacramentorum executioneque suorum Ordinum resp. aliisque arbitrio praedictorum Ordinariorum seu Inquisitorum pro modo culpaef infligendis poenis plectendo.

§. 7. *Qui autem libros impresserint aut imagines pinxerint*, sculpservint seu quomodo affinxerint vel formaverint, caeterique artifices circa praemissa qualitercunque delinquentes, praedicta omnia omittant et insuper pecuniariis aliisque etiam corporalibus poenis juxta criminis gravitatem, eorum-

dem Ordinariorum seu Inquisitorum arbitrio officiantur.

§. 8. Quibuscunque contrariis non obstantibus. Publ. et affixum ad valvas Basilicae ss. ap. Petri et Pauli de Urbe die 13. Mart. 1625.

Idem decr. confirm. est ab eod. PP. Urbano VIII. sub die 5. Julii 1634. (Bull. mag. rom. tom. V. p. 85 et 260 ed. Luxemb. 1727). *Subsequ. Constit. ejusdem PP. Urbani VIII. de forma et habitu Imaginum continetur etiam in eod. Bullario tom. V. p. 365 et est de die 15. Mart. 1642.*

De Veneratione, Forma et Habitu SS. Imaginum Urbani VIII. Constitutio.

S. Antonius (imago); *Processio Corp. Chr.* (quae res circumferri debeant?); *Reliquiae* (expositio, decr. n. 3864); *Imago Beati* (expos.); *De conditionibus Imaginem exponendi* vd.: *Reliquiae* (superimpon. etc. decr. n. 4578 nota); *Imago Titul. ponenda in alt. maj.*

Urbanus Papa VIII. Sacrosancta Tridentina Synodus optime agnoscens non leve scandalum afferri posse, si quid inordinatum aut praepostere accommodatum vel profanum in Ecclesiis appareat, statuit, nemini licere ullo in loco vel Ecclesia etiam quomodolibet exempta ullam insolitam Imaginem ponere vel ponendam curare, nisi ab Episcopo adprobata fuerit.

§. 1. Cum autem, sicut accepimus, ex praedicti Decreti inobservantia varii abusus irrepserint; idcirco Nos abusus hujusmodi tollere pro debito pastoralis Officii nostri volentes re etiam cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Sacris Ritibus praepositis communicata et mature considerata et discussa inhaerendo dictae dispositioni Sacrosanctae Tridentinae Synodi, motu proprio et ex certa scientia nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, ne quis cujuscunque gradus, qualitatis, ordinis, status vel conditionis ac dignitatis et prae-